



## Revista de Guimarães

Publicação da Sociedade Martins Sarmiento

### **MEMORIAE AETERNAE. FRANCISCI MARTINS GOUVEIA DE MORAIS SARMENTO (1833-1899).**

HÜBNER, Aemilius

Ano: 1900 | Número: 17a

---

#### **Como citar este documento:**

HÜBNER, Aemilius, Memoriae aeternae. Francisci Martins Gouveia de Moraes Sarmiento (1833-1899). *Revista de Guimarães*, Volume especial, 1900, p. 106.

---

Casa de Sarmiento  
Centro de Estudos do Património  
Universidade do Minho

Largo Martins Sarmiento, 51  
4800-432 Guimarães  
E-mail: [geral@csarmiento.uminho.pt](mailto:geral@csarmiento.uminho.pt)  
URL: [www.csarmiento.uminho.pt](http://www.csarmiento.uminho.pt)



Este trabalho está licenciado com uma Licença Creative Commons  
Atribuição-NãoComercial-SemDerivações 4.0 Internacional.  
<https://creativecommons.org/licenses/by-nc-nd/4.0/>

# MEMORIAE AETERNAE

Francisci Martins Gouvea de Moraes Sarmiento

(1833-1899)

---

**V**ALETUDINEM eius gravem ante paucos dies mihi nuntiaverat Albanus Bellino; hodie, dum in hac solitudine Alpium Helveticarum animi corporisque recreandi causa moror, iam eum non esse inter vivos certior factus sum amicitia doctoris Pereira Caldas, senis venerandi, qui corporis animique vigore admirabili praeditus studia cujusvis generis fovet.

Utinam Musae studiorum liberalium faatrices diu eum nobis conservent! Nam mortui sunt iam diu, qui in eadem studiorum arena desudaverant, amici mei Portugalenses paene omnes: Soromenho, Estacio da Veiga, Borges de Figueiredo.

Mortuus est nuperrime, quem nunquam dolere desinemus, Franciscus Sarmiento, investigator praeclarus Citaniarum, Avieni interpretis sagax, Argonautarum in longinquas occidentis regiones, ubi ipse natus est vitamque degit omni bono honestoque dedicatam, dux intrepidus, historiae patriae nec non Musarum cultor felix, vir ingenio, doctrina, morum comitate, sermone eleganti facetiisque pleno insignis.

Vita ei concessa erat paene aequa, non longior certe, quam Marco Ciceroni, litterarum Latinarum luci; lux similis e scriptis Francisci Sarmiento redundans Lusitanorum vetustatem illustrabit.

Mortuus quidem est, neque diutius fruemur animi eius candidi dotibus iucundis. Sed manet manebitque memoria viri praeclari non tantum inter cives suos, sed apud omnium gentium homines.

Vixit mihi amicissimus; amicitiae et admirationis testimonium hoc scripsi in vico Helvetiorum inter lacus duos sito (Interlaken), d. XIX m. Augusti a. M DCCC XCIX.

*Aemilius Hübner.*